

D. T. O. M. A.  
DISQUISITIO SECUNDA,  
*De*  
DIVINA PECCATORUM  
NOSTRORUM REMISSIONE,  
P R A E S I D E

JUSTO FEWRBORNIO,  
SS. THEOLOGIAE DOCTORE,  
EJUSDEMQUE IN ACADEMIA MAR-  
purgensi, Professore & Ecclesiaste,

*Publicè Respondente*

JOHANNE FRANCISCO HERSFELDT,  
RHODA-WALDECCO.

*Ad piè ventilandum proposita,*

In Auditorio Theologico,

*Die 26. Februarii Horis consuetis.*



*Marpurgi Cattorum,*

Typis JOSEPHI DIETERICI HAMPPELII,  
Academ. Typographi.

M D C XLV.

Coll. diss. A  
167, 21

*Diss. A. 167, (21)*

*f. ~~III~~ R.*

1774

Georg Meißner  
Königliche Bibliothek

Georg Meißner  
Königliche Bibliothek

Georg Meißner  
Königliche Bibliothek



Georg Meißner  
Königliche Bibliothek



3  
*T H E S I S P R I M A.*



**I**n prægressâ Disquisitione exposui. 1. Qui Spiritus S. de remissione peccatorum loquatur? 2. An unus & solus Deus nobis nostra peccata remittat? 3. An Christus, etiam ut homo, divinâ & infinitâ virtute & potestate remittendi peccata, præditus sit &c? Jam,  $\xi\omega\delta\ \theta\epsilon\omega\varsigma$ , plura, quæ hujus Articuli sunt, exponam.

2. IV. An Deus nobis ex propriis nostris operibus, passionibus & meritis, & propter illa, vel ex merâ suâ gratiâ & misericordiâ, nostra nobis ex peccata remittat? 3. Non ex propriis nostris operibus, passionibus & meritis, qualitercunque etiam ea colorentur, sed ex merâ suâ divinâ  $\phi\iota\lambda\alpha\upsilon\theta\epsilon\omega\mu\acute{\iota}\alpha$  gratiâ, misericordiâ, bonitate & benignitate, nostras iniquitates nobis remittit & ignoscit, prout constat ex Exod. 34. v. 7. Psalm. 25 v. 6. 7. 11. & 51. v. 3. &c, & 103. v. 3. 8. &c, Jerem. 31. v. 34. Ezechiel. 36. v. 25. &c, Dan. 9. v. 9. &c, Mich. 7. v. 18. 19. Matth. 18 v. 27. Luc. 17. v. 10. & 18. v. 13, Roman. 3. v. 24. 25. 28. cap. 4. v. 1. &c, Eph. 1. v. 7. &c, & 2. v. 4. &c, & Tit. 3. v. 4.

3. Quæ ut dexterius & clarius percipiantur, sciendum & expendendum est, quòd hæc divina misericordiâ non sit effectum voluntatis divinæ contingens, quod fieri vel non fieri, & esse vel non esse queat, sed proprietas substantialis, essentialis & naturalis ipsius Dei. Quia, 1. Deus est charitas (substantialis) 1. Johan. 4. v. 8. 16. Charitas autem divina est ipsa divina misericordiâ, in Deo. Nam & illa & hæc est benigna & benefica ejus voluntas, quâ nos amat, nostriq; miseretur, & nobis benefacit. 2. Tota scriptura clamat, Deum esse misericordem, & misericordiam divinam recenset inter attributa divina essentialia, Exod. 22. v. 7. & 34. v. 6. Deut. 4. v. 31. Psalm. 103 v. 8. Nehem. 9. v. 17. Sirac. 2. v. 23. Deinde 3. Non licet nec fas nobis est, nisi in solo Deo (salvificè) sperare, Psalm. 4. v. 6. & 7. v. 2. & 84. v. 13, Jerem. 17. v. 5. At licet & fas nobis est in misericordiâ divinâ spe-

rare, Psalm. 13. v. 6. & 33. v. 18. & 52. v. 10. Addo 4. Deus est ab æterno & in æternum, Psal. 29. v. 10. & 90. v. 2. & 102. v. 13. 27. Habac. 1. v. 12. & Sirac. 42. v. 21. Et misericordia divina est ab æterno & in æternū, 1. Paral. 16. v. 34. Psalm. 100. v. 5. & 103. v. 17. & 117. v. 2. & 136. v. 1. Item, Deus remittit nobis nostra peccata, *propter suam misericordiam*, Psal. 25. v. 6. 7. Et illa nobis remittit *propter seipsum*, Esa. 43. v. 25. & Dan. 9. v. 19. Hinc ergo satis liquet, misericordiam divinam, de qua hic agimus, esse ipsam *scilicet* divinam, & non aliquod voluntatis divinæ effectum, apud creaturas in tempore editum.

4. Objicit Socinus lib. 3. de Christo servatore c. 1. & in Prælection. Theolog. cap. 10. Si misericordia in Deo resideret, tum Deus nemini unquam pœnam irrogaret, cum misericordia nihil aliud sit, quàm delinquentibus ignoscere. Resp. 1. Negatur connexio propositionis. Quia Deus non tantum est misericors, sed & justus & ultor iniquitatum. Nec misericordia residet in Deo, ut accidens in subjecto, sed est ipsa deitas. 2. Ad probationem resp. per distinctionem. Misericordia sumitur aut pro ipsâ misericordi voluntate miserandi & juvandi, quæ est proprietas Dei substantialis, de quâ suprâ citata loquuntur dicta, aut pro actu miserandi, Psalm. 103. v. 13. & Roman. 9. v. 18. & 11. v. 32. aut pro ipsis misericordiæ operibus, Psalm. 17. v. 7. Si primo modo sumatur, distinguitur ab ipsâ peccatorum ignoscentiâ, ceu causa a suo effecto. Sin secundo & tertio modo accipiatur, tum ipsi actus & opera ipsius substantialis divinæ misericordiæ indigantur.

5. Occinit Socinus l. c. Deum esse tardum ad iram, & multum miseratione, Exod. 34. v. 6. Num. 14. v. 18. Quod manifestè indicet, hæc duo (justitiam & misericordiam) effecta esse voluntatis ejus, quorum unum ab altero, magnitudine superetur, & simul stare nequeant, & terminata sint; cum ea, quæ verè in Deo resident, nullū terminum habeant, & simul omnia stare possint, & inter se, magnitudinis respectu, sint prorsus equalia. Hinc manifestum sit (inquit) quam graviter errent illi, qui Dei hanc justitiam tum misericordiam, infinitam esse affirmant.

6. Res. 1. Allegata dicta manifestè non indicant, hanc Dei justitiam & misericordiam esse divinæ voluntatis effecta. Quia justitia Dei, quâ is suum cuique tribuit, & sic etiam debitam peccatoribus pœnam infligit, est in Deo ipsa divina substantia, & nequaquam aliquod

aliquod accidens, Deo inhærens (secus Deus foret compositus, & in Deo esset aliquid ἐπεσσιον) Et quæ justitia hæc Dei, de quâ jam contendimus, esset effectû voluntatis divinæ sic liberum, ut possit Deus, sine ullâ acceptâ satisfactione, peccata remittere, adeoque etiam illa sic remittat? Quia Spiritus S. in S. literis testatur, quod hæc sit divina justitia, nempe quod peccatores sint digni morte, Rom. 1. vers. 32. & quod apud Deum sit justum, vicissim reddere iis, qui nos affligunt, afflictionem, 2. Thessal. 1. v. 6. Ergo est *injustitia* apud Deum, vel in oculis Dei, peccatores non esse dignos morte, & apud Deum est *injustum*, non vicissim eis, qui nos affligunt, reddere afflictionem, sed eis, *citra ullam satisfactionem*, remittere peccata. Taceo, quod Deus in Decalogo dicat: Maledictus sit omnis, qui non permanferit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea, Deut. 27. v. 27. & Galat. 3. v. 10. At Decalogus est immota *justitiæ* regula in Deo. Quid? Jehova inquit Prov. 17. v. 15. Qui justificat impium, & impiificat (ut sic loquar) justum, abominatio Domini etiam ambo ipsi. An autem Dominus ipse faciat, quod simpliciter & perpetuo abominatur, ut *ex naturâ sui* grande peccatum? At si justitia ejus taliter se haberet, ut impium *absolutè* absolveret, id est, *citra ullam acceptam satisfactionem*, eum impunitum dimitteret, tum *contra justitiam* justificaret impiû. Quod ipsi tam abominationi est, quàm impiificare & condemnare justum & innocentem. Addo. Deus non potest seipsum negare, 2. Timoth. 2. v. 13. At posset seipsum (*in S. literis descriptum*) negare, adeoque seipsum negaret, si justitia ipsius non esset proprietas ipsius naturalis & immutabilis, sed tam liberum voluntatis suæ divinæ effectum, ut hominem peccatorem, *sine ullâ acceptâ satisfactione*, possit absolvere, & actu etiam eum, si resipuerit, absolvat. Quia se ipsum in suo verbo sic nobis patefecit, quod aversetur & abominetur peccatorem, quod ei maledicat, quod eum abjiciat. Et tamen id, stante Photinianorum opinione, non faceret, etsi nulla satisfactio intervenisset. Ergo concludo, quod hæc, de quâ agimus, divina justitia, sit proprietas essentialis & immutabilis ipsius Dei; sicut & ipsius misericordia est essentialis Dei idioma, prout supra evici.

7. R. 2. Frivola sunt, quæ Socinus subnexuit. Nam divina justitia & misericordia *equaliter* Deo competunt: nec in Deo sunt duæ res, sed una res, id est, una divina essentia. Quoniam in Deo nul-

la est *iniquitas*. Scriptura quidem dicit, Deum esse *longum iram vel irarum, & multum miseratione*, Num. 14. v. 18. Exod. 34. v. 6. Neh. 9. v. 17. Psalm. 103. v. 8. Jon. 4. v. 2. & passim; at eo ipso non docet, divinam misericordiam esse divinam justitiam majorem, sed inculcat magis ipsius longanimitatem, quâ dat peccatoribus tempus resipiscendi, Rom. 2. v. 4. Jacob. 5. v. 11. & 2. Petri. 3. v. 9. Ubi obiter observetur, quod Deus dicatur אַפַּיִם רַחֵם formam duali; quia longanimis sit erga justos & improbos, ut utriusque peccantes, per tarditatem iræ ad pœnitentiam invitentur, prout refert Buxtorff. in Lexico, ex Talmudicis. Sic Spiritus S. etiam dicit, quod homo mansuetus, sit longus irarum. Proverb. 14. v. 29. & longus spiritus, Eccles. 7. v. 9; Contra, homo עֲזוּזֵי יָדַי sit brevis irarum, Proverb. 14. v. 17. Quin etiam quando S. Scriptura loquitur de Deo, ut justo peccatorum iudice & vindice, tum asserit, Deum esse *Zelotem*, Exod. 20. v. 5. & *ignem consumentem*, Deut. 4. v. 24. & Heb. 12. v. 29. contra peccatores *iraferventem*, Num. 16. v. 22. & testatur, *iram ejus, voluit ignem, exardescere*, Psalm. 89. v. 47 *in furore ejus ignem esse accensum, & ardere usq; ad infernum infimum*, Deuter. 32. v. 22. Num Socinus & hinc eliciet, ipsam justitiam Dei vindicativam in Deo esse majorem divinam misericordiam? Nec Deus suam justitiam vindicantem & suam misericordiam miserantem, ratione horum effectuum, eodem respectu, in uno subjecto conjunctim exercet. Quando enim hominibus pœnitentibus misericorditer remittit peccata, tum eadem in ipsis non panit in irâ suâ ardente, sed Christus ea portavit & expiavit, & Deum placavit. Nec justitia & misericordia divina unquam desinent, prout supra ostendi. Vide plura in meo Syntagmate sacrarum Disquisitionum, p. 211. 212. 582. &c.

8. Be. 3. Hinc manifestum evadit, quàm atrociter erret Socinus, quum hanc Dei justitiam & misericordiam negat esse infinitam. Quum enim hæc divina idiomata in Deo cum essentiâ divinâ identificentur, hinc sicut substantia divina est ab æterno & manet in æternum: ita etiam divina justitia & misericordia ab æterno existunt & in æternum manebunt.

9. Porro Gratia divina, ex quâ Deus nobis nostra peccata gratis condonat, non dependet à nostris propriis operibus & meritis, Deut. 7. v. 6. 7. 8. & 1. Johan. 4. v. 10. & 19. sed fundata est in merito Christi, Psalm. 89. v. 3. 4. & Johan. 1. v. 14. 16. 17. & 1. Corinth. 1. v. 4. Rom. 8.

7  
Rom. 8. v. 39. Ephes. 1. v. 6. Nec enim veritas & iustitia divina admittit,  
ut gratia Dei salvatrix in homines peccatores, absolute, id est, sine facta  
ipsorum delictorum expiatione satisfactoria, derivaretur.

10. Nec obstat locus Johan. 3. v. 16. Ibi enim Christus nequaquam docet, quod Deus in initio aliquantisper absolute, hoc est, citra consideratam & acceptatam Mediatoris Παυδεώντος intercessionem & satisfactionem, ad salutem dilexerit homines peccatores. Si enim Deus unquam sic absolute prius dilexisset homines peccatores, quam constituisset ipsis suum dare Filium, pro ipsorum peccatis ἰλασμοῦν, cur non etiam ulterius, imò consummate eos ita absolute diligere potuisset? Quod enim Deus unquam fecit, id & ultra facere potest, si velit. Quid ergo? Christus dicit ita notabiliter: Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret &c. Ubi quidem divinam dilectionem prius ponit, quam dationem Filii Mediatoris, at extra & citra illam esse, nullatenus asserit, aperte docens, quod Deus non obiter, neque leviter, neque subito impetu, neque absolute affectu, sed ita dilexerit (ab æterno) mundum, ut ei daret Filium suum unigenitum, qui pro lapsa genere humano intercessit & sese ad satisfactionem obtulit. Et proinde non extra & citra Christum propitiatorem & intercessorem, sed in eo data nobis est divina gratia ante tempora æterna, 2. Timoth. 1. v. 9. Neque extra & citra hunc nostrum, ab æterno præcognitum, Mediatorem, 1. Pet. 1. v. 20. & 1. Tim. 2. v. 5. sed in eo & propter eum, in sacrosanctæ Trinitatis consilio, factum est decretum de redimendo genere humano, in peccatum prolapso, satisfactorie redimendo. Vide D. Chemnit. in Harmon. cap. 8. p. 194. & c. 28. p. 153. D. Hünm. Tom. 1. p. 691. 928. & in germanicâ Refutat. calumniarum D. Hoffmanni, pag. 35. 36. & D. Rung. disp. 7. in Epist. ad Rom. p. 102. & si libet, adde meum Synagma, part. 2. disp. 2. pag. 294. & c. ubi inter alia monui, quod quamprimum in corde Dei, affectus (ut sic loquar) dilectionis divine erga nos miseros peccatores ortus est, factum quoque divina iustitia ultrix, constantiaque, invariabilis, & sempiterna veracitas requisiverit satisfactionem pro nostris peccatis. Secus nos ex maledictione eluctari, & benedici nequivissemus.

11. Bellarminus lib. 1. de grat. & liber. arbit. c. 6. docet, que tribui soleant gratiæ, omnia tribui in Scripturis caritati, que etiam faciat hominem Deo dilectum, Proverb. 8. v. 17. & Joh. 14. v. 21. & nos à peccato

peccato justificet, Luc. 7. v. 47. Et c. 7. tradit, Deum duobus modis nos diligere, uno modo, ut simus justī & sancti, alio modo, quia simus justī & sancti. Vide eundem lib. 6. de grat. & libet. arbit. c. 7. §. Secunda & c. & lib. 1. de justific. c. 13. §. Porro & c. Et Salmeron Tom. 9. Tract. 72. & Tolerus in c. 16. Johan. v. 27. nostrum amorem asserunt esse causam amoris & gratiæ divinæ. Et Vorstius In Amicâ Duplicat. p. 46. & c. & in Scholus Αλεξικ. pag. 139. nostram dilectionem docet esse causam dilectionis divinæ, non quidem meritoriam, sed tantum ex pacto aliqua efficientem, vel etiam causam sine quâ non.

12. Resp. 1. Nostra dilectio nullatenus est causa amoris divini erga nos, sed est ejus effectus. Quia Deus nos jam tum dilexerat, cum nos adhuc eramus peccatores & inimici, Roman. 5. v. 8. 9. 10. Et dilexit nos ab æterno, quando nondum existimus, Eph. 1. v. 4. 5. 6. Et suo Spiritu Sancto, quem nobis largitur, dilectionem sui in nobis accendit, Ezech. 11. v. 19. 20. Vide August. T. 9. Tract. 74. & 102. in Johan. Et expende simul, quòd Bell. l. 2. de grat. & lib. arbit. c. 15. §. Hæc igitur, rectè scribat, Deum amando facere bonos.

13. R. 2. Nec obstant objecta nobis dicta. Nam Proverb. 8. v. 17. & Joh. 14. v. 21. describuntur non cause dilectionis divinæ, sed subiectæ personæ, à peccatis convertæ, & ab aliquo suo effecto descriptæ, in quas amor divinus misericorditer fertur. Diligentes me diligo, inquit Sapiëntia, non ait: Ego diligo homines propter ipsorum erga me amorem. Ipse Thomas Aquinas in expositione capituli 5. ad Rom. inquit: Hoc, quod ipsum amamus, signum est, quòd ipse nos amet Proverb. 8. & c.

14. Quando etiam Christus ait Luc. 7. v. 47: Remissa sunt ejus peccata multa, quia dilexit multum: tum vocula, ὅτι, non est αἰτιολογικὴ, sed συντακτικὴ, hoc est, non describit causam remissionis divinæ, sed ejus effectum, quod, ceu aliquam argumentandirationem, Christus allegat, ita concludendo: Dilexit multum. Ergò sunt ei multa peccata remissa. Christus enim divinam peccatorum remissionem inculcat esse causam mulieris hujus dilectionis, prout liquet ex v. 41. 42. & c. ubi ait: Duo debitorum erant cuidam creditori: unus debebat denarios quingentos, & alter quinquaginta. Quum autem illi non essent solvendo, ἔχαισεν αὐτοὺς, ex gratiâ condonavit utrisque. Horum igitur dic, uter eum pius ἀγαπήσεται, diliget? Respondens Simon dixit, existi-



*xistimo, quòd is, cui plus ἐχαρίωται.* At ille dixit ei, *Rectè judicasti.* Et conversus ad mulierem, dixit Simoni, *vides hanc mulierem? Intravi in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti: hæc autem lacrymis rigavit pedes meos, & capillis capitis sui extersit. Osculum mihi non dedisti: hæc autem, ex quo inttavi, non cessavit deosculari pedes meos: Oleo caput meum non unxisti: Hæc autem unguento unxit pedes meos. Propter quod dico tibi, Remissa sunt ejus peccata multa, ὅτι, quia dilexit multum: cui autem paululum remittitur, is paululum diligit etc.*

15. Notentur hic argumentorum pondera. 1. Dicuntur duo debitores fuisse unius creditoris. Christus ergò subinnuit, dilectionem fuisse Deo *debitam* à creditoribus. Nullum autem debitum est meritorium. 2. Utriq; dicuntur non fuisse solvendo. Qui ergò potuissent ipsi apud Deum suorum debitorum solutionem præstare, vel eorundem remissionem promereri? 3. Creditor ex merâ gratiâ utriq; debitori condonavit omnia debita. Ergò neuter ipsorum istam condonationem suis operibus promeruit. 4. Christus loquitur in futuro tempore v. 47. Horum igitur dic, *uter eum plus diligit.* Perspicuè ergò docet, hanc divinam debitorum condonationem esse hominum debitorum *dilectione* priorem. 5. Disparem hominum dilectionem elicit ex dispare, jam tum factâ, remissione divinâ. Remissa sunt ei, inquit, peccata multa, quoniam dilexit multum: cui autem minus remittitur, is minus diligit. Sicut igitur hæc minor dilectio oritur ex minorum & pauciorum debitorum remissione: ita quoq; major dilectio exurgit ex majorum & plurium debitorum condonatione. 6. Tandem dixit ad mulierem v. 50. *Fides tua te salvavit: vade in pace.* Quòd si autem hæc mulier suâ dilectione divinam suorum peccatorum remissionem promerisset, tum meritò dixisset: *Dilectio tua te salvavit.* Quòd tamen non fecit, neque facere potuit: quia dilectio hominum in peccatum prolapsorum, tametsi per gratiam divinam conversorum, non est divinæ legi exactè conformis, imò est id debitum, quo Deo multis ipsi modis obligati sunt.

16. Nec Locus Joh. 16, v. 27, nostræ sententiæ quicquam officit: Quoniam & ibi *ὅτι, quia,* non est causale, sed rationale, *rationem,* ab effectu Apostolorum petitam, subinnuens. Christus inquit v. 26. *Et non dico vobis, quòd ego rogaturus sim Patrem* (scil. tanquam

B

non-

nondum vobis reconciliatum, sed adhuc vobis iratum) *Ipsè enim Pater amat vos (specialiter) quia vos me amatis, & creditis, quòd à Deo exiverim.* Hic amorem Discipulorum, non asserit esse causam amoris divini meritoriam (secus & ipsorum *fides* foret talis causa) sed à duobus effectis ostendit, Apostolos à Deo Patre amari *specialiter* (qui amor includit applicationem hominum credentiũ fiducialem, continetque *acceptam* peccatorum remissionem &c) *quia illi Deum Patrem filialiter ament, & fiducialiter credant, quòd à Deo exierit.*

17. Excipit Barradius Tom. 4. Commentar. in Concord. & Histor. Evangelistar. lib. 5. c. 12. pag. 179. illum amorem & fidem discipulorum fuisse effectum amoris Dei, quo illos prior persecutus sit; atq; ad eò fuisse posteriorem amore Dei. Deum autem propter effectus suos, fidem, charitatem & gratiam, amare suos amore quodam consequente vel concomitante ipsos effectus. Antequã verò effectus donet, amare, amore antecedente. De concomitante loqui hìc Christum hoc sensu: *Ipsè Pater amat vos propter fidem & amorem in me, quam fidem & amorem ipse in vobis effecit, prior vos amans.*

18. R. Errat Barradius, talem amoris divini distinctionem formando, eamque taliter applicando. Nam amor divinus erga nos miseros homines peccatores, sive consideremur ante, sive spectemur post nostri conversionem & regenerationem, nequaquam nobis obvenit propter nostra opera, imò neq; propter nostram fidem: sicut ipsa justificatio & salvatio, justitiãque & salus nobis non obtingunt ob nostram fidem & probitatem: sed amor ille divinus, quo Deus nos miseros peccatores in Christo prosequitur, & ex quo nos *convertit, justificat, sanctificat* &c, semper est *merè gratuitus*, & nequaquam nostris propriis operibus, ceu causis, innititur. Quin potius quisque nostrum humiliter precari necesse habet: Domine, ne intres in iudicium cum servo tuo: quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens, Psalm. 143. vers. 2. Nam sumus, ut immundus, omnes nos, & tanquam pannus menstruatus, universæ justitiæ nostræ, Esa. 64. v. 6. Rectè ergò Bernhard. scribit Lib. de amore Dei cap. 4. pag. 1143. edit. Colon. ann. 1620. cum nos amas, non nisi propter te nos amas. Item: Nec te, nisi propter te, nec angelum, nec hominem amare potes, nisi propter te.

19. Neque gratia divina, ex quã remissionem nostrorum  
pecca-

peccatorum accipimus, est charitas, sanctitas, justitia & novitas nobis infusa & inhærens, ut tamen putant Bellarm. l. 2. de justificat. c. 2. & 3. & lib. 1. de grat. & lib. arbit. cap. 3. 4. 6. & Coster. in Enchirid. c. 6. pag. 222. & c. & reliqui, adeò, ut Bellarm. l. 1. de grat. & lib. arbit. c. 3. ex Concil. Trident ostenderit, ejus Patres definivisse, quòd hæc gratia sit qualitas permanens, per modum habitus, atque animæ inhærens. Qui error satis gravis & exitialis est. Nam, 1. Spiritus S. hanc justificationis nostrum coram Deo gratiam, *in hoc articulo* opponit omnibus nostris habitibus, qualitatibus & operibus, Roman. II. v. 6. & Ephes. 2. v. 8. 9. At opposita non sunt identica. 2. Eandem gratiam per *Dei misericordiam*, Matth. 18. v. 27. Roman. 9. vers. 16. 18. 23. Ephes. 2. v. 4. 5. & 1. Timoth. I. v. 13. 14. 16. Per Dei *φιλανθρωπίαν, χρηστότητα, οὐ γάπην*, 1. Tit. 3. v. 4. 7. & 1. Johan. 4. v. 9. 10. Roman. 2. v. 4. describit & exponit. At ipsa divina misericordia, charitas, bonitas, benignitas, non est qualitas, in nobis hærens. Secus ipse Deus & ipsa Deitas foret qualitas nobis inhærens. Quia Deus est charitas, 1. Johan. 4. vers. 8. 16. Et 3. Testatur, eandem gratiam nobis esse datam *in Christo ante tempora æterna*, 2. Tim. I. v. 9. At si est qualitas, nobis inhærens, tum nõ fuit nobis *in Christo* data *ab æterno*: quia ea gratia etiam extitit ab æterno: sicut Deus est ab æterno, qui est hæc charitas. Et 4. asserit, Christum *gratiã Dei*, gustasse mortem pro omni (homine) Hebr. 2. v. 9. id est, *ex charitate Dei*, seu ex amore divino erga nos, Roman. 5. v. 8. Galat. 2. v. 20. & Apocal. I. v. 5. Et 5. Tradit, nos esse vocatos *ἐν χάριτι καὶ ἐν ἀγάπῃ*, Galat. I. v. 6. & *ἐξ τῆς χάριτος αὐτοῦ*, vers. 13. Vide etiam 1. Corinth. 15. v. 10. At vocatio tribuitur *divinæ misericordiæ*, 1. Tim. I. v. 13. 16. & 2. Timoth. I. v. 9. Sic Deus *ex suã gratiã* nos regenerat, Tit. 3. v. 5. 7. At regeneratio adscribitur *copiosã misericordiã divinã*, 1. Petr. I. v. 3. Et 6. Noster Deus est Deus *omnis gratiæ*, 1. Petr. 5. v. 10. Idem est Pater *misericiordiæ*, 2. Corint. I. v. 3. Et 7. Si gratia divina in articulo justificationis nostrum coram Deo (quam justificationem Bellarm. l. 2. de justificat. c. 13. dicit, esse remissionem peccati, & remissionem peccati esse justificationem) est nostra inhærens charitas, justitia, sanctitas & novitas, tum Paulus non potuit asseverare, nos justificari *ex Dei gratiã*, sine operibus nostris. Quia excludit etiam opera, quæ sunt *in justitiã*, Tit. 3. vers. 5. At hoc asseverat, Rom. 3. 4. 5. cap. & passim.

20. Non dubito, quin hæc, & similia Spiritus S. eloquia & fundamenta Patres Concilii Tridentini in Nostratum Scriptis legerint, eorumq; validitatem ita senserint, ut Sess. 6. can. 11. non δωρομωσ negare auli fuerint, gratiam, quã justificamur, esse favorem Dei, sed apposuerint vocem, tantum, asserentes, quod gratia, quã justificamur (seu remissionem peccatorum nostrorum consequimur) non sit tantum favor Dei. Quid plus ergo est? Bellarm. lib. 1. de grat. & lib. arbit. c. 3. §. Concilium, scribit; Concilium Tridentinum canone 11. definire, justificationis gratiam non esse tantum externum Dei favorem, sed etiam charitatem in corde diffusam, eiq; inherentem. Quod reipsã perinde est, ac si Pontificii dicerent, Deum non tantum esse suam infinitam charitatem, sed etiam finitam nostram inherentem charitatem, ab ipso nobis infusam: & sic causam esse suum effectum. Quod ατοπον.

21. Sed videamus potiora argumenta, quibus Pontificii hunc suum suffalcire student errorem. Bellarm. l. 1. de grat. & lib. arbit. c. 4, objicit dictum Pauli Rom. 5. v. 19. & scribit: At nos per obedientiam unius Christi justos multos constitui, existimamus in eo sensu, ut merito obedientie Christi reconcilietur nobis Deus, & ab eo justitiã donemur, quæ sit qualitas animæ nostræ infusa & inherens. Id quod est antithesi verborum Apostoli manifestè probamus. Dixerat enim B. Paulus: Quemadmodum per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi. Et continuo adjecit: Ita per obeditionem unius hominis, justii constituentur multi. Constat autem, nos non constitui peccatores per imputationem injustitiæ, quæ fuit in Adamo, sed per injustitiam nobis verè inherentem, per modum habitus, quam contraximus ob inobedientiam primi hominis, cujus filii sumus: ita justii etiam constituimur, si quid Apostoli antithesis valet, non per imputationem justitiæ, quæ est in Christo, sed per justitiam nobis verè inherentem, per modum habitus, quæ nobis infunditur ob Christi obedientiam, cujus per lavacrum regenerationis filii efficimur.

22. Resp. 1. Hic quaeritur, an Spiritus S. quando in S. literis describit articulum justificationis nostram corã Deo, & asserit, nos gratiã Dei justificari, seu remissionem nostrorum peccatorum assequi, tum per gratiam Dei intelligat & exprimat charitatem & novitatem nostram, divinitus nobis infusam, nobisq; inherentem? Bell. affirmat,

mat, & affirmationem suam hoc Dicto Paulino evincere vult. Ast  
Apostolus hic nequidem vocem gratia Dei ponit, nedum ut asserat,  
eam in hoc articulo esse nostram habitualē & inhæsiyam novitatem.  
 z. Bell. hoc Dictum Pauli adulterat, trahens illud ad modum, quo cō-  
stituumur & peccatores & justī. Quæ Sophistica s̄licita esset, tum &  
 sic quis arguari posset: Quo modo per inobedientiam Adami nos  
constituti sumus injusti: eo modo per obedientiam Christi constitui-  
mur justī. Ast modo generationis carnalis, constituimur injusti. Sumus  
 enim naturā filii irę. Eph. 2. v. 3. Ergo & modo generationis carnalis  
 constituimur justī. Ast hoc vel ipse Bell. l. 2. de justific. cap. 13. negat,  
asserens, nos participare justitiam Christi per regenerationē, sicut pec-  
catum Adami per generationem. Quid? Ita per inobedientiam Ada-  
 mi, homines constituti sunt peccatores, ut ipsi omnes & singuli na-  
 scantur peccatores. Ergo ne per obedientiam Christi sic etiam consti-  
 tuantur justī, ut omnes & singuli nascantur justī? Absit. Quid ergo?  
Apostolus hic loquitur de causis efficientibus, & docet, quod sicut la-  
plius Adamus, suā inobedentiā nos, qui in ipsius lumbis fuimus, fe-  
cit peccatores, ita Christus, secundus Adam, suā obedientiā nos fe-  
cerit justos. Modum, quo nobis sive justitia, sive injustitia compe-  
tat, hic Apostolus non inculcat. Et tamen ejus antithesis manet va-  
lida. Sicut enim ipsa injustitia & justitia sibi recte opponuntur: ita  
 quoq; efficiens causa injustitiæ, & efficiens causa justitiæ ἀντιθέτως hic  
 introducuntur. Sed de illo Dicto in ipsā συμφιλολογίας plenius agem⁹.

23. Resp. 3. Graviter errat Bellarm. quando scribit, nos non  
 constitui peccatores per imputationem injustitiæ, quæ fuit in Adamo.  
 Annon Paulus Roman. 5. v. 12. clarè dicit, omnes homines in Ada-  
 mo peccasse? & per unius delictum, reatum venisse in omnes homi-  
 nes ad condemnationem, vers. 18. & in Adam omnes mori: 1. Cor.  
 15. v. 22. Quia Adam, non ut una privata persona, sed ut stirps totius  
 generis humani, peccavit. Quod probè expendens. Aug. Tom. 7. l. 1. de  
 peccatorum meritis & remiss. c. 10. p. 659. ait: Certum manifestumque  
est, alia esse propria cuiq; peccata, in quibus hi tantum peccant, quorum  
peccata sunt: aliud hoc unum, in quo omnes peccaverunt, quando o-  
mnes ille unus homo fuerunt.

24. Notetur autem hic contradictio Bellarmini. Nam hic  
negat, nos constitui peccatores per imputationem injustitiæ, quæ

fuit in Adamo. At lib. 5. de amiss. grat. cap. 17. §. Itaque, id affirmat  
 inquit: Solus Adam actuali voluntate illud ( peccatum ) commissis  
 nobis verò communicatur per generationem eo modo, quo communicari  
 potest id, quod transiit, nimirum per imputationem. Omnibus enim  
 imputatur, qui ex Adamo nascuntur, quoniam omnes in lumbis Adami  
 existentes, in eo & per eum peccavimus, cum ipse peccavit. Reliqua ar-  
 gumenta, quæ Bell. l. 1. de grat. & lib. arbit. arbit. c. 4. profert, sunt so-  
 lutu facilima.

25. Libro 2. de Justificat. cap. 3. porro objicit: Prætereà, gra-  
 tiam justificantem non esse solùm favorem Dei, sed donum in animã in-  
 hærens, intelligi potest ex variis attributis & nominibus ejus. Nam dicitur  
 tur donum, quod accipimus, ad Rom. 5. Accipientes abundantiam gra-  
 tiæ & donationis. Item dicitur dari per Christum, Gratia & veritas  
 per Jesum Christum facta est, Joh. 1. Non autem rectè dicitur facta per  
 Christum benevolentia Dei Patris. Item dicitur dari ad mensuram ab  
 ipso Christo: Unicuique nostrum data est gratia, secundum mensu-  
 ram donationis Christi, ad Eph. 4. At benevolentia Dei non datur  
 ad mensuram neq; à Christo. Iseus comparatur essentia, qua datur per  
 creationem. Inde enim dicimur creati in Christo, ad Ephes. 2. Et esse  
 nova creatura, ad Galat. 5. (6.) At id, per quod creatura dicimur, inti-  
 mum & inhærens est.

26. Resp. 1. In genere. Status controversiæ probè notan-  
 dus est. Non enim quæritur, an vox, gratia, utpiam in Sacris literis  
 notet Dei donum nobis inhærens, sed, an gratia, per quam Spiritus  
 Sanctus dicit, nos corã Deo justificari, sit nostra inhæsiva novitas &c?  
 Hoc nos negamus. 2. Neque hæc nostra negatio per ista Bellarmi-  
 ni argumenta convellitur. Apostolus Roman. 5. vers. 17. Gratiam à  
 dono distinguit. E. per gratiam non intelligit id donum, multoque  
 minus intelligit donum nostræ novitatis nobis inhærentis. Quin po-  
 tiùs per gratiam intelligit id, quod in multos, seu omnes homines  
 exuberavit, v. 15. & quod, ubi peccatum exuberat, longè superabun-  
 dat, v. 20. At donum nostræ novitatis inhæsivum nec in omnes ho-  
 mines exuberavit: quia non omnes per Sp. S. renovati sunt: nec supra  
 peccatum longè exuberat: quia nostra inhæsiva novitas in hâc vita est  
 peccatis polluta. Superabūdans ergò ista divina gratia est  $\epsilon\omega\epsilon\theta\beta\acute{\alpha}\lambda\lambda\omega\upsilon\ \omega\lambda\epsilon\tau\theta\ \chi\acute{\alpha}\rho\iota\tau\theta\ \epsilon\upsilon\ \chi\rho\iota\sigma\tau\acute{\eta}\iota\ \epsilon\phi\ \eta\mu\acute{\alpha}\varsigma\ \epsilon\upsilon\ \chi\rho\iota\sigma\tau\acute{\omega}\ \text{Ἰησοῦ}$ , Eph. 2. v. 7.  
 Et ista  $\delta\omega\theta\epsilon\acute{\alpha}\ \tau\eta\ \delta\iota\kappa\alpha\iota\sigma\upsilon\eta\varsigma$ , est nobis donata justitia obediētiae Chri-  
 sti Rom. 5.

sti Roman. 5. v. 15. 19. & 2. Petr. 1. v. 1. Verè igitur differunt ista gratia & istud donum.

27. Benevolentia Dei Patris consideratur aut in suâ *ἀγάπῃ*, aut in sui *δόσει*. Ibi Christus eam non fecit; quia benevolentia & Charitas divina substantialis, est proprietas essentialis ipsius Dei ab æterno: *Hic* illam fecit. *Nobis*, inquam, illam fecit, dum patiendo & moriendo, & satisfaciendo pro nostris peccatis, quibus nos Deum ad iram concitaveramus, cum ipso Deo nos reconciliavit, & gratiã divinã nobis ita recuperavit, ut de plenitudine eius nos omnes acceperimus, & gratiam pro gratiã. Joh. 1. v. 16: id est, propter illam gratiã, quã Deus Pater suum Filium, *sub lege pro nobis factum*, diligit & acceptat, nos etiam sibi gratos & acceptos reddidit. Et sic hoc tribuendum est non nostro naturali libero arbitrio, nec ulli operi nostro, sed alienæ gratiæ, nempe divinæ infinitæ. Vide Luth. Tom. 3. lat. Jenens. de Servo arbit. pag. 226.

28. Locus Ephes. 4. vers. 7. est hic alienus. Quia ibi articulus justificationis nostrum coram Deo, ut in propriã suã sede, non describitur, nec gratia justificationis ibi intelligitur. (Hæc n. omnib. credentibus est communis. At ista, de quã hic agitur, variorum donorum gratia non est omnibus credentibus. communis: quia donorum istorum *divisio* est, 1. Cor. 12. v. 4. & c.) sed donorum Dei *varietas* asseritur. Nec crudè negari debet, quòd gratia, i. e. benevolentia divina, nobis a Christo etiam detur. Quia divina benevolentia, gratia & dilectio, quã justificamur, competit non tantum Deo Patri, Joh. 3. v. 16. & 1. Joh. 3. v. 1. & Sp. S. Roman. 5. v. 5. & 5. v. 30. & Hebr. 10. v. 29. sed & Filio, Act. 15. v. 11. Rom. 1. v. 7. Gal. 1. v. 6. & 2. v. 20. Eph. 5. v. 25, & Apoc. 1. v. 4. 5.

29. Nec dicta Eph. 2. v. 10. & Gal. 6. v. 15. Bellarmini assertionem evincunt. Quia n. is solidè demonstrabit, gratiam justificationis hinc comparari essentiali, quæ nobis detur per creationem? Describitur hinc nostrum spiritualis creatio, i. e. conversio à peccatis, & adoptio in filios Dei cum quã nostri renovatio conjuncta est) quæ dicitur creatio, quia est ejusdem infinitæ virtutis, cujus est ipsa creatio. Si igitur hinc evincitur, gratiã divinã, *per quam* à peccatis ad Deum convertimur, & in filios Dei adoptamur (& renovamur de die in diem) esse nostram novitatem, nobis inhaerentem; tum etiam hinc pariter evincitur, *Christi meritum*, propter quod convertimur & adoptamur (& renovamur) esse nostram novitatem nobis inhaerentem (*ἀπό τῆς*!) Quia hæc spiritualis nostrum creatio omnes suas causas complectitur.

30. Tandem objecta Bellarminus, gratiam justificantem comparari luci, 2. Cor. 6. v. 14. Eph. 5. v. 8. & 1. Joh. 2. v. 9. At inquit, lux non facit corpus lucidum, nisi inhaereat, neque patitur secum tenebras. Quomodo igitur potest homo justificatus, non tantum lucidus dici, sed etiam lux in Domino, cum antea tenebrosus esset, si adhuc tenebra peccatorum in ipso inhaerent, & gratia lux extrinsecus manet? Et gratia, per quam justificari nos, dicit Apostolus, dicitur etiam charitas Rom. 5. v. 5. ubi secundum Aug. lib.

Aug. lib. de Spir. & liter. c. 32. intelligitur charitas, non quâ nos ipse diligit, sed quâ nos facit dilectores suos. Et Apostolus Rom. 8. v. 15. de hoc ipso Spiritu nobis dato, loquens: Accepistis, inquit, Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater. At certe clamamus, Abba Pater, per charitatem, quâ diligimus nos Deum, non quâ diligit nos Deus. Et in eodē capite per gratiâ justificantem vivere dicimur, v. 10. At non recte sic possumus vivere per extrinsecū Dei favorem; cū nihil sit magis intimū, quàm vita.

31. II. Juxta Greg. Magn. T. 1. lib. 32. Expos. Moral. c. 17. p. 119. lit. c. error, cum virtus creditur, difficiliter emendatur. Hoc ipsi in hâc etiam quæstione satis demonstrant. Nam accumulât hîc Dicta, quæ ad ipsorum errorem suffulcendum nihil faciunt, & perperam etiâ illa detorquent. Nam, I. In 2. Cor. 6. v. 14. & Eph. 5. v. 8. & 1. Joh. 2. v. 9. vox gratiæ ne quidem habetur, nedum ut per lucem, ceu qualitatem nobis inhærentem, exponatur. Ipsi homines per Spiritum Dei, illuminati, dicuntur lux in Domino. An a. ipsi sunt qualitas inhærens in Domino Christo? Sanè quando Sp. S. homines per verbum & Sacramenta divina illuminat & sanctificat, tum tenebræ *ἀπιστίας* damnantis & peccatorū atrocium ab ipsis tolluntur, & lux fidei salvantis & per dilectionem operantis in cordibus ipsorum accenditur, inde tamen minimè sequitur, ipsam divinam gratiam, quâ corâ Deo justificamur, nō esse divinâ benevolentiam & *φιλοθεωπία*, sed qualitatem nobis inhærentē. II. Rom. 5. v. 5. non intelligitur nostra charitas, quâ nos ipsum Deum prosequimur, sed divina charitas, quâ ipse nos cōplectitur. Quia Apostolus loquitur de illâ charitate, quæ est basis nostræ spei non pudefacientis, Rom. 5. v. 5. At nostra charitas non est illa basis: quia nostra dilectio in hâc vitâ est imperfecta & peccatis polluta. Charitas autem Dei, quâ nos prosequitur, est certa spei nostræ non pudefacientis basis, Esa. 28. v. 16. & Rom. 10. v. 11. & Eph. 1. v. 6. 13. Et hæc Dei Charitas hîc consideratur non simpliciter, quatenus extra nos est, sed quatenus Deus ipsius gustum nobis per Sp. S. præbet, nōsq; de ipsâ per arrhabonem Spiritûs certos reddit, & eam in nobis obsignat, 2. Cor. 1. v. 21. & 5. v. 5. Eph. 1. v. 13. 14. & 4. v. 30. Deinde Rom. 5. v. 8. Paulus expressè testatur, quòd loquatur de charitate non nostrâ, sed Dei. Neq; est, ut Stapletonus excipiat, Apostolū v. 8. de aliâ dilectione loqui quàm v. 5. Nam utrobq; agit de eadem Dei charitate, cujus pignus est Christus pro nobis mortuus, teste ipso textu. Augustino, si ipsam Dei charitatem, quæ est in ipso, hîc excludit, opponimus Chrysostomum, Theophylactum & alios Patres, & monemus, quòd ipse Aug. T. 3. l. 5. de Trin. c. 17. per hanc charitatē intelligat ipsum Spiritum Sanctum. Confer Lombard. lib. 1. dist. 10. & 17.

32. III. Neq; obstat nobis Roman. 8. v. 15. Quia nec ibi gratia divina justificatrix dicitur nostra inhærens qualitas, sed dicimur clamare per Spiritū adoptionis: quippe qui est Spiritus gratiæ & precum, Zach. 12. v. 10. Proindeq; & falsum est, nos non clamare, Abba Pater, per charitatem, quâ Deus nos diligit. Nam Deus ex infinitâ suâ *φιλοθεωπία* in Christo, nobis Spiritum precum donat. Nec Rom. 8. v. 10. per *δικαιοσύνη* intelligitur ipsa divina gratia justificatrix, sed justitia obedientiæ Christi, à nobis per fidem apprehensa, quâ in hoc seculo vivimus in statu gratiæ; in altero autem seculo vivemus in statu gloriæ cœlestis. Utraq; hæc vita nostra est effectus benevolentiae divini in Christo, tametsi illa non sit qualitas nobis inhærens. De reliquis in seqq.

F I N I S.

Coll. Diss. A. 167, n. 21